Theses,

quas

pro munere Rectoris miti bonorum censuræ

modeste offert

H. F. J. WESTERBERG,
v. Rector, Ph. Mag. V. D. M.

Respondente

E. L. LINDEGREN,
Scano.

In Auditorio Majori die xx Junii MDCCCXLIII.

H. ante m. S.

LUNDÆ,
typis excudit C. F. Berling,
Universitatis Typographus,
MDCCCXLIII.

Th. I.

Romantici et Realistæ, in quos adversarios Scholarum Trivialium diviserunt, utrique in errores rapiuntur, illi, cum non meditantur, culturæ, quæ nunc hominum est, fundamenta in litteris classicis esse posita; hi, cum in Scholam tantam vim scientiarum diversarum inducere volunt, ut Schola eam capere non possit.

Th. II.

Scholas in duo sola genera distributas volumus: Scholas illiteratorum et Scholas litteratorum usui dicatas. Scholas Apologisticas, quas vocant, cum his conjunctas volumus.

Th. III.

Quod dicunt, quia Latinitas adplicata, quæ vocatur, jam desiit, igitur Latine scribant loquanturque discipuli necesse non esse, in eo vehementer errant; nam certe linguam quandam discere non possumus, nisi nos in ea et legenda et scribenda et loquenda exerceamus.

Th. IV.

Pueri in Historia arripienda primum compendia legant, ut quasi telam texturæ historicæ habeant. Sint hæc compendia enumerationes annorum, fa-

ctorum, personarumque, quæ in Historia occurrunt, eo modo scriptæ, ut gaudium præbeant discentibus.

Th. V.

Disciplinæ Mathematicæ, cum inter se quam intime cohæreant, quam maxime eodem tempore tradi debent, ut instituamus, quoad per res ipsas liceat, discipulos doctrina simul continuarum et discretarum quantitatum.

Th. VI.

Merito queruntur de eo, quod in Scholis plerisque lingua vernacula negligitur. Ei subveniri iis, quæ ipsi concribant discipuli, non putamus. Contendimus, imitandis vertendisque operibus classicis, orationem Suecanam pleniorem effici.

Th. VII.

Quod Historia naturalis in Scholis publicis non traditur, de eo miramur, cum lex Scholastica non modo non vetet, sed etiam jubeat studium hujus disciplinæ. Postquam terminologiæ et systemata percepta sunt, aptum feriis negotium hoc studium præbet.

Th. VIII.

Cum familia et respublica arctissime inter se conjunctæ sint, igiturque maximi sit momenti, quales cives illa huic tradat; existimamus etiam scholas privatas curæ reipublicæ subesse debere.

Th. IX.

Duæ sunt præcipuæ methodi Scholasticæ, quarum alteram veterem alteram novam appellare volumus. Illa Suethice vocatur "Classläsning," hæc "Ämnesläsning." Utramque utilitates etiamque vitia habere libenter concedentes, illam ubique in Schola adhiberi posse putamus, hanc modo in superioribus classibus.

Th. X.

Inter disciplinas philosophicas primum historiam philosophiæ discipuli percipiant. Doctoris est explicare, quod in ea propter brevitatem libri didactici vel aliis de caussis explanationem desideret.

Th. XI.

Quod multi contenderunt, eruditionem quam maxime extensam revolutionum ecclesiasticarum et civilium esse caussam, in eo opinio eos fallit; nam, ut dicit auctor probe cognitus, vices Historiæ sunt necessariæ.

Th. XII.

In studio linguarum, et præsertim Latinæ, artis synonymicæ ratio haberi debet; hac enim cognita apte, dilucide et ornate scribere et loqui possumus, quod alias fieri non potest.